UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Theokritu eidyllia, tutesti mikra poēmata hex-kai-triakonta

Theocritus

Francofurti, 1553

XII: Aitas (argumentum)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-724

Visual Library

In calathis grauiter redolentia: deniq; molles
Caseolos manibus componere. sola tamen me
Dura parens offendit, ut autem conqueror illi
Vulnera quæ patior, semper tacet, et nihil unquam
Dulce tibi de me loquitur, sed ut illa uicissim
Indoleat, dum me sine succo & sanguine toto
Corpore defectum uidet, hîc mendacia texens
Atq; ægrum doleo caput, & pede labor utroq;,
Hisq; ea torquetur, nanq; & male torqueor ipse.
O Cyclops Cyclops quæ te dementia cepit?
Quàm fuerat melius calathos contexere, & altos
Lanigeris ouibus in pabula sternere ramos.
Hanc mulge interea, quid enim fugientia captas
Gaudia? fortè aliam quæ sit formosior illa
Inuenies Galateam, amârunt me quoq; multæ,
Et mecum longa cupierunt nocte puellæ
Ludere, dulce omnes, & suaui uoce canentes,
Ridentesq; effusè omnes: postquàm obsequor illis
Non adeò passim contemnor, & ipse aliquis sum.
Sic bonus ille canens rexit Polyphemus amorem,
Ipse suum curans meliore nomine uulnus,
Quàm si diuitias atq; aurea dona dedisset.

ARGVMENTVM DVO-decimi Eidyllij.

Inscribitur Eidyllion hoc Aitas, & constat Ioni

co dialecto. Ex Poëtæ uerò persona sermo est ad amicum, unde & Aitæ titulum præfert, quandoquidem eos etiam qui amantur nonnulli Aitas uocāt, uelut Thessali. Sed & Alcman poëta lyricus puellas amabiles appellat Aitas, alij uerò sodales. Quidam autem bonos uiros ita nuncupari affirmant. quasi μὴ ἴτας, ꝓ eo quod est, μὴ ἰταμοὺς. i. nō improbos. Quòd si ad eum qui amatur referre uoles, deduci poterit ἀπὸ τοῦ εἰσαίειν εἰσπνεῖν ἐν ἔρωτα τῷ ἀγαπῶντι, id est, ab inflando & inspirando amorem ei qui amat. Exponit autem quomodo abstinere nullo pacto amans poßit, quin amati uestigia subinde respiciat. Optat igitur utriusq; animæ commissuram fieri, amorisq; securitatem in omne æuum perdurantem, ut post fatum etiam, qui nos secuturi sunt posteri, tantum in utroq; consensum prædicent, ex aureo natos seculo dictitantes. Collaudat autem eos, qui ad hanc amoris uicißitudinem sese mutuò identidem accendunt: in primis uerò Megarenses extollit, ob tam eximios Diocli honores exhibitos. Quum enim is pro amico periclitante se uelut scutum obiecisset, mortiq; etiam exponere se non dubitâsset, publico eum funere Megarenses dignati sunt, & ut heroa coluerunt: adeò ut ipsius nomine certamen quoq; instituerent, quo osculis inter se formosi certabant. Itaq; qui suauißimum præ alijs osculū exhibuisset, eum à iudice coronatum tradunt.

THEO